



Nr 27. 28. fehlt!





5

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
GONORRHOEA MALIGNA

QVAM
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

AD D. SEPT. A. R. S. MDCCLIX.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PVBELICE DEFENDET
ALBERTVS CONRAD HORN
OSTERVICO-HALBERSTADIENSIS.



HALAE MAGDEBVRGICAE LITTERIS HENDELIANIS.

2

DISSERTATIO IN AVGVRAIS MEDICA

GONORRHOEA MALIGNA

PRO GRADV DOCTORIS

ALBERTVS CONRAD HORN

IN ALMA REGIA HANNOVERIANA

MDCCCLXXXIII

ALBERTVS CONRAD HORN

OSTENSIO-HEILSTADENSIS

ALBERTVS CONRAD HORN

ALBERTVS CONRAD HORN

ALBERTVS CONRAD HORN

ALBERTVS CONRAD HORN

ALBERTVS CONRAD HORN

ALBERTVS CONRAD HORN

ALBERTVS CONRAD HORN

ALBERTVS CONRAD HORN

ALBERTVS CONRAD HORN





§. I.



De tetro illo, hominumque generi quam maxime calamitoso morbo, *Gonorrhoeam malignam* puto, impraesentiarum disserturus, minus sollicitus sum de simplici ipsius Onomatologia; siquidem neminem sane Medicorum, nostris potissimum temporibus, fugit, Gonorrhoeae vocem graecae esse originis, desumptam a γόν, *gēnitura*, & γέν, *stuo*; adeoque, vi vocis, *Gonorrhoeam* feminis profluuium denotare, nemo non facili perspiciet negotio. Iam vero duplex datur *Gonorrhoea*, altera *maligna* seu *virulenta*, benigna altera. Maxima sane inter utrasque hasce species datur differentia, tam ratione causae materialis, quam methodi medendi. Quandoquidem *Gonorrhoea maligna* constituit *humoris seminalis corrupti*, foetidi, *nausco-*

Dissertatio inauguralis medica,

nauseosi, ex vrethra involuntarium profluvium, & supponit semper partium quarundam glandulosarum exulcerationem; ad quod adhuc accedit, quod alia subiecta data occasione inficiat, vnde quoque maligna audit. Omnia haec momenta in benigna non observantur, adeoque, licet etiam in hac liquidi cuiusdam excretio adsit, nihilominus tamen reliqua, in glandulis vrethrae adiacentibusque partibus, corruptionis deficient signa.

§. II.

Differentiam Gonorrhoeae malignae ab aliis morbis ostendere, eo minus opus esse iudico, quocertius illa ab omnibus aliis facili discerni potest negotio, & id quidem eo magis, quia in sensu incurrit. Quodsi demum adhuc accedat ipsorum aegrotantium, de coitu cum persona quadam suspecta, confessio, Gonorrhoeam extra omnem dubitationis aleam positam esse certissime sum persuasus.

§. III.

Deinde est *Gonorrhoea maligna vel recens* adhuc, vel *inuterata*, a quacunque id factum fuerit causa; quae distinctio in praxi medica maximi momenti est, tam ratione euentus, quam curationis. Solent porro Doctores Pathologiae illam vltierius distinguere in *idiopathicam & symptomaticam*; haec ab aliis morbis venereis tanquam effectus produciuntur, & non cedit, nisi sublato morbo primario; illa vero *idiopathica*, exulcerationem glandularum vrethrae vel prostararum tanquam causam proximam agnoscit, & de hac in praesentia sum disserturus.

§. IV.

§. IV. *Symptomata*, quibus sordidus hicce morbus
 sese manifestat, & ex quorum praesentia speciatim
 dignoscitur, ita sunt comparata, vt Medicum in arte
 versatum fallere haud possint. Concernunt vero
 signa partim prodeuntem materiam, colore sese
 manifestantem, partim symptomata & molestias,
 quibus haec morbosa excretio plerumque stipata
 esse solet. Non multo enim post coitum impurum
 conqueruntur polluti de doloribus lumborum at-
 que testium, ardor insignis vrget in pene, ex vre-
 thra stillare incipit materia quaedam putrida, pro
 diuerso infectionis gradu modo viridescens, mo-
 do flauescens coloris, odoris admodum aduersi
 atque nauseosi, illi, quem acida corrupta spargunt,
 haud absimilis. Immo tanta huius materiae non
 raro solet esse acrimonia, vt glandem penis atque
 praeputium arrodat. Adest quoque dolor atque
 ardor inter mingendum, & potissimum sub mictio-
 nis finem, vehementissimus. Vrina interdum est
 turbida copiosisque flocculis referta, post aliquam
 vero moram crassum deponit sedimentum. Neque
 noctes sine doloribus transigere possunt venereo
 miasmate conspurcati. Coles enim noctu rigescit
 & praeter naturam incuruatur, qui posterior status
 Medicis *Chordae*, prior vero *Priapismi* nomine ve-
 nit. Sub hisce circumstantiis, & si non statim ma-
 nus auxiliatrices ferantur, vires successiue magis
 magisque decrescunt, facies redditur pallida, ocu-
 lorum lux, & partium, quae oculum ambiunt, vi-
 uacitas imminuitur, & qui oculis circum sunt or-
 bes,

bes, liuidi conspiciuntur. Quae vero omnia sub legitima morbi curatione iterum successiue euanescent.

§. V.

Symptomata, §. anteced. recensita, subiecta, pro diuerso infectionis atque durationis gradu, plus minusue adficiunt atque excruciant; adeoque nunquam fere ea omnia coniunctim atque constanter obuia deprehenduntur; sed haec istos, alia iterum alios aegros, Gonorrhoea maligna adfectos, longiori aut breuiori tortura vexant. Quodsi demum cum eiusmodi gonorrhoea bubones venerei, testiculus venereus, aliaeque huius generis adfectiones complicentur, tunc & in specie habebunt, de quo conquerantur Venerei. Verum tamen, quum mihi impraesentiarum sermo tantummodo sit de Gonorrhoea maligna, utpote morbo primario atque simplici, reliquos morbos venereos, cum Gonorrhoea interdum complicatos, nunc missos faciam.

§. VI.

Subiecta, quae huic adfectui prae aliis subiciuntur, quoad aetatem sunt diuersa; dum experientia testatur, iuuenes, viros ac senes vegetiores, gonorrhoea data occasione corripri multo frequentius, ipsis pueris atque senibus decrepitis, utpote qui, cum mascula illis desit facultas, raro admodum huncce adfectum incurrunt. Neque minus ad temperamentorum differentiam attendendum. Sanguineos enim atque cholericos frequentius hoc morbo adfici, nemo Medicorum ibi inficias. Gaudent

dent enim hi sanguine admodum spirituoso, fibris elasticis, adeoque prae reliquis subiectis ad res venereas magis sunt proclives atque dispositi. Negandum quidem non est, & aliorum temperamentorum subiecta morbo huic interdum exponi. In primis vero grauioribus stipatus incedere solet huius morbus symptomatibus, si phlegmatici atque melancholici temperamenti subiecta inuadit. Gaudent enim haec sanguine respectu spiffiori, & ad miasma venereum fouendum multiplicandumque quam maxime apto atque disposito.

§. VII.

Enim vero mei porro refert instituti, ut, quae nam specialis huius morbi sit *pars adfecta*, breuiter exponam. Docentibus vero Pathologis locum adfectum constituit vrethrae interna substantia, vasculis, lacunis & glandulis oblita, non exclusis prostaticis, utpote quae posteriores non raro quoque in censum veniunt. Signa vero, ex quibus constat, *glandulas vrethrae adfectas esse*, sequentia sunt: Statim retro glandem dolor persentiscitur sat manifestus; porro, colem, retro glandem, si comprimam, liquoris seminalis corrupti maius obseruabis profluuium, manifesto indicio, ibidem locum specialiter adfectum esse. Longe aliter vero res comparata est, si *prostaticae vesiculaeque seminales* miasmate venereo sunt inquinatae; dolor enim tunc magis vrget circa radicem penis, ibidemque compressionem cum digitis si instituas, materiae habebis excretionem auctam. De cetero haec loci adfecti diuersitas, licet vnam eandemque causam materialem

pro

pro fundamento agnoscat, in praxi medica maximam meretur attentionem.

§. VIII.

At enim vero, nunc in eo ero occupatus, vt indolem atque naturam materialis huius morbi causae, ea, qua fieri poterit, breuitate expendam. Dissentiunt quidem Medici inter se in determinatione causae materialis, aliis, illam acidae indolis esse, aliis alcalinae adfirmantibus, aliis simpliciter ad miasma quoddam venereum, tanquam denominationem minus determinatam, confugientibus; sed, cui ego subscribam sententiae, si quaeras, *acidum* habebis *principium volatile*, & ab eo omnes mutationes, in gonorrhoea maligna reliquisque adfectibus venereis occurrentes, facillimo explicari posse negotio, nullus omnino dubito. Ne vero id ipsum principium precario adsumisse videar, ex symptomatibus, gonorrhoea maligna laborantium, adferri mei veritatem sequenti demonstraturus sum comitate.

§. IX.

Quodsi itaque humores, & inprimis lymphaticos, Gonorrhoea maligna adfectorum paulo exactius accuratiusque contemplaueris, illos spissos atque tenaces deprehendes; nunc nihil magis lympham inspissat, quam acida, & id quidem eo magis, quo maiorem gradum volatilitatis illa possident; ergo & in acido principio volatili causam materialem huius morbi quaerendam esse, clarum est atque perspicuum. Quum etiam porro acida gaudent

dent virtute quadam peculiari terrea resoluendi, (per princip. chemica,) sulphur vero intactum relinquunt (per ead. princip.); hinc itidem patebit, cur, posita acida causa materiali in adfectibus venereis, humores lymphatici spissi sint atque tenaces. Porro materia, quae in gonorrhoea excernitur, spirat odorem acido corrupto haud abfimilem (§. IV.), ex quo pariter iudicatu facillimum est, acidum principium in culpa esse. Neque minus caries osium in lue venerea de acido principio luculentum exhibet testimonium, cum praeter illa, terreas osium partes, teste Chemia, nihil soluat. Volatilem causae materialis in gonorrhoea indolem nemo in dubium vocabit, nisi qui sciat pathologiam cum ignaris.

§. X.

A iuuantibus atque nocentibus, in causa materiali determinanda, haud parui momenti argumenta desumi posse, regulae therapeuticae docent; iam vero in gonorrhoea maligna reliquisque adfectibus venereis, acida qualiacunque cane peius atque angue fugienda sunt, nisi morbum deteriozem reddere velis; poteritne igitur Medicus acidum humoribus lymphaticis admixtum accusare? inprimis si obseruat, alcalina, & quae huius commatis alia sunt medicamenta, infra pluribus indicanda, panaceae instar omne fere curationis punctum absoluere. Plura equidem, eaque haud minoris ponderis argumenta, pro acido principio stabiliendo, in medium proferre possem, nisi metus esset, ne cancellos Dissertationis transgrederer, adeoque haec

B

de

de causâ materiali huius adfectus dixisse, sufficiat.

§. XI.

Suppeditatis igitur iis momentis, quae ad causae materialis indolem atque naturam declarandam pertinent (§. VIII-X.), non alienum a scopo meo esse iudico, insimul *modi*, quo hoc miasma *communicatur*, mentionem iniicere. Varia equidem multiplicique ratione virus venereum humoribus corporis humani insinuari posse atque cum iis communicari, docent variae morborum venereorum species. Vbique enim in corpore humano dantur oscula inhalantia, per quae illud transire, & data porta, cum humoribus eiusdem commisceri potest; quos vero omnes miasmatis venerei propagandi modos impraesentiarum haud attingam, sed mearum potius partium esse existimo, demonstrare, qua ratione miasma gonorrhoeae virulentae in corpus deferatur. De eo vero insequentibus.

§. XII.

Vt autem aliquis gonorrhoea maligna corripiatur, necesse est, ut coles partibus genitalibus sexus sequioris, miasmate venereo confurcatis, immitatur, quo ipso particulae acidae volatiles (§. VIII-X.), ex partibus genitalibus inquinatae personae exhalantes, partes glandulosas (§. VII.) ingrediuntur, ibidemque motum intestinum fermentatiuo-putredinosum maiorem excitando, humores lymphaticos spissiores acrioresque reddendo, partes solidas irritant atque corrodunt, & hinc ob maiorem

iorem humorum versus partem adfectam adfluxum, stagnationes, stases, inflammationes, & tandem profluuium materiae cuiusdam puris ad instar, Medicis sub *Gonorrhoeae malignae* denominatione notum, produciunt.

§. XIII.

Ex haecenus disputatis atque inter semet inuicem collatis, omnia symptomata Gonorrhoea maligna adfectorum (§. III. IV.) sine vilo labore poterunt explicari; quandoquidem per princip. pathologica constat, salia omnia soluta, & hinc quoque acida, nimis aucta vi in corporis humani solida agentia, inter partes eorum penetrare, cohaesionem fibrarum imminuere, adeoque, maiorem humorum versus illam partem adfluxum concitando, varii generis stagnationibus indeque ortis inflammationibus ansam praebere. Inprimis vero salia noxiam solent exserere efficaciam, si eorum actio maior in glandulas fit; tunc enim non vicinas modo, sed insimul alias corporis humani partes suo priuant robore naturali, easque in putridam conuertunt mucilaginem. At enim vero, quae haecenus de salium actione dicta sunt, de omnibus ac singulis eorum speciebus valent; necesse itaque erit, acidi salis actionem in corpus humanum in specie determinare. De acidis notum est, quod, praeter generalem actionem, quam cum reliquis communem habent, humores, & potissimum lymphaticos inspissando agant (§. IX.); eiusmodi indolis vero humores per canales suos ita libere, vt in statu sano alias fieri solet, transire nequeunt, sicque oriuntur stagnationes hu-

morum (§. XII.). Porro cum hac ratione humores, ob se- & excretionum defectum, maiorem acquirant acrimoniam, partes nerueae, omnibus fere muscularibus partibus intertextae, irritantur, & spasmis adfiuntur; poteruntne inde dolores atque ardores, de quibus subiecta conqueruntur, deduci? Et quid, quaeso? Chorda atque Priapismus (§. IV.) aliud sunt, quam stricturae, a principio acido in pene partibusque adiacentibus hinc inde inductae, easdemque ad praeternaturalem contractionem stimulantur? Sine vlllo itaque labore quilibet perspicere poterit, vlcera, materiam putridam fundentia, in glandulis vrethrae aliisque partibus oriri posse. Non minus facile erit explicatu, quare vrina horum subiectorum flocculis (§. IV.) referta conspiciatur. Haec enim vrethram transiens, materiam, ex vlceribus ibidem praesentibus exsudantem, secum rapit & in matula deponit. Eadem est ratio dolorum, de quibus sub finem mictionis conqueruntur aegrotantes (§. IV.). Enim vero, materia illa acris vrethrae interiorem substantiam arrodit atque exulcerationes producit, quas vero exulceratas partes salia in vrina contenta dum contingunt, non possunt non quin eas irritent, & hinc habes rationem dolorum.

§. XIV.

Reliqua symptomata, in subiectis Gonorrhoea maligna adfectis obuia, nullo negotio a causa materiali, §. VIII. demonstrata, possunt deduci, adeoque eorum vltiori explanationi nunc superfedo.

§. XV.

§. XV.
 Sed nunc ad *prognosin* huius adfectus decla-
 randam deuoluor. Absolute quidem ille nunquam,
 vel rarissime omnium vitae periculum inuoluit, nisi
 grauissima vitia in diaeta & methodo medendi com-
 mittantur. Leue itaque periculum adesse adfirmo,
 si morbus adhuc recens, & materia non admodum
 magna inquinata est acrimonia, si porro prostium
 libere succedit & intra aliquot dies materia colo-
 rem albicantem, naturali similem, acquirit; sub his
 enim circumstantiis spes facillioris curationis adful-
 get. Citius quoque euadunt atque ab hocce retro
 adfectu liberantur subiecta robusta, nondum anno-
 fa, & adhuc humoribus purioribus gaudentia. Tan-
 dem adfectus facile cedit, si tempestiua detur oc-
 casio legitime occurrendi, quo scilicet materia pec-
 cans corrigatur atque eliminetur, ne tempus ac-
 quirat, vt partes grauius arrodere, aliisque adfecti-
 bus venereis ansam praebere valeat. E contrario
 grauissima metuenda sunt mala, prognosisque paulo
 circumspectius est formanda, si subiecta iam ante
 infectionem humorum acrimonia falsa atque acida
 laborarunt, aut gonorrhoea diu iam fuerunt vexa-
 ta, vel eam quacunque ratione adstringentibus ma-
 le tractarunt, ita, vt materiae effluxus vel plane
 cessauerit, vel ad minimum non satis libere succes-
 serit; tandemque si subiecta iam antea gonorrhoea
 vel quocunque alio morbo venereo laborarunt.
 Quae omnia modo adducta momenta efficiunt, vt
 Gonorrhoea difficulter admodum sanationem ad-
 mittat, &, nisi statim conuenientia atque adpropria

ta opponantur medicamina, non raro in veram tranlire soleat luem venereum.

§. XVI.

Vltimum tandem, quod mihi disquirendum adhuc restat, est *curatio* gonorrhoeae. Medici, morborum curationes in se suscipientes, *indicationes* formare solent, quibus legitime formatis, omnis mendendi ratio innititur. Gonorrhoeam itaque malignam curaturo *tres indicationes* curae cordique sint: vt 1) *materia peccans, h. e. miasma venereum, corrigatur & praeparetur*, 2) *praeparata illa tempestiue ac debite remoueat ac euacuetur*, & 3) *paribus adfectis debitus restituatur tonus*; sed de singulis seorsim.

§. XVII.

Ad *primam* itaque *indicationem*, miasmatis scilicet venerei correctionem (§. antec.) obtinendam, ea iuuabunt medicamenta, quae humores lymphaticos spissos atque tenaces (§. IX.) fluidiores reddunt, & haec Medicis sub *resoluentium* atque *diluentium* nomine veniunt. Resoluentia quod attinet, per principia Therapiae generalis constat, eorum actionem ita esse comparatam, vt cohaesionem fluidarum partium inter se imminuant, atque solida ad maiorem contractionem stimulent, vnde hoc ipso eorum vsu in gonorrhoea magni esse momenti, nemo negabit. Verum enim vero resoluentium medicamentorum in materia medica magna datur farrago, quorum tamen alia aliis praeferenda. Selectu itaque opus esse iudico, & quae in hoc adfe-

Et

Et prae aliis proficua sunt, hic recensebo. Ex resoluventium itaque classe choreas ducant Tincturae alcalinae, quarum efficacia in morbis, ab humorum spissitudine oriundis, vix satis depraedicari potest. Constant enim ex partibus alcalicis atque oleosis; hinc cum acidis non modo efferuescunt, sed & eadem cicurant, adeoque iam hac ratione causae materialis vis, quae in hoc adfectu in principio acido consistit (§. VIII-X.), infringitur. Ad quod porro adhuc accedit, quod Tincturae alcalinae infusum in partes solidas agant, earumque motum augendo, egregiam exerant efficacitatem. Quod ipsum etiam optime demonstratum dedit *Illustr. atque Excellentiss.* BÜCHNERVS, Fautor atque Praeceptor meus ad cineres vsque nunquam satis mihi colendus, in Dissertatione inaugurali hic 1746. habita, de *Tincturis alcalinis*, sequentibus verbis: *Tincturae alcalinae vrentem sensum imprimunt; hinc vi stimulantem gaudent. Propter vim vero stimulantem, qua Tincturae alcalinae sunt praeditae, actio simul partium nervo-muscularium intenditur. Qua intensa, humores viscosi attenuantur. Proderunt itaque Tincturae alcalinae in omnibus morbis, ubi attenuatione humorum opus est. Hinc salutari cum fructu haec Tincturae vsurpantur in cachexia, in obstructione viscerum, in malo hypochondriaco, nec non aliis morbis, qui natales suos ex lymphae & seri corruptione ducunt. Iam vero cum in gonorrhoea adsit lymphae & seri corruptio, utique & in iis Tincturarum alcalinarum usum quam maxime proficuum esse, nemo negabit.*

§. XVIII.

Praeter has virtutes, §. anteced. recensitas, alia adhuc eaque haud minoris momenti efficacia a Tincturis alcalinis expectanda venit. Siquidem dum humores spissos atque renaces colliquando ac fluidiores reddendo agunt (§. XVII.), partesque solidas stimulant (§. antec.), efficiunt, ut se- & excretiones liberius succedant; hinc *Illustr. BÜCHNERVS* l. cit. *Tincturae*, ait, *alcalinae sunt remedia ad excretionem salutariter promovendas congrua. Quibus adeoque adtribuenda erit vis diaphoretica atque emmenagoga.* Egregiae itaque efficaciae in Gonorrhoea maligna erunt sequentes: Tinctura antimon. acris, Tinctura antimon. tartarifata, itemque illa ex sale Tartari solo parata, ita tamen, ut pro circumstantiarum ratione cum aliis adpropriatis essentis, e. g. Succini, bals. Peruvian, Myrrhae, pimpinell. albae, helen. & c. remisceantur. Verum enim vero, insignis ille ardor in vrethra & dolor sub finem mictionis (§. V.) si paulo magis vrgent, resolventium alcalinorum parciosem vim requirunt, nec ultra gutt. xx. debent exhiberi, alias dolores atque spasmos augent. Proinde etiam Essentiae Succini efficacitatem in hoc morbo magnis extollunt laudibus Medici, & quum pariter virtute diuretica gaudeat, sat commode cum Tincturis alcalinis illa potest remisceri.

§. XIX.

Respectu Tincturarum alcalinarum vero temperamentorum quoque ratio habenda, siquidem alia subiecta prae aliis humoribus plus minusue spissioribus gaudere, prout vel hoc vel illo temperamento

mento praedita sunt, nemo non facili concedet negotio. Sic enim melancholicorum atque phlegmaticorum sanguis magis spissus maiorem non modo, sed & frequentiore Tincturarum alcalinarum usum requirit, quam sanguineorum atque cholericorum humores, utpote qui fat fluidi, & ob sulphurearum partium abundantiam, potissimum in cholericis, non facile Tincturas alcalinas paulo actiuiores perferre possunt.

§. XX.

Diluentia (§. XVII.) in hoc adfectu quam maxime conducent; talia vero sunt, inscula auenacea, hordeacea, & infusa theeformia, immo aqua pura fontana. Haec enim humores lymphaticos diluunt, causaeque materialis acrimoniam infringunt, ut desinat esse acris atque corrosiva; fibrae irritatae, ob emollitionem, ad spasmodicam constrictionem fiunt ineptae, doloresque inde oborti ut cessent, necesse est; & id quidem eo magis, si ad acidam acrimoniam obtundendam & infringendam absorbentia, acido citri saturata nitroque remixta, interponuntur. Inprimis vero Nitri efficaciam in doloribus atque spasmis, in Gonorrhoea colem affligentibus, plane singularem & specificam quasi deprehendimus. Hinc quoque *Illustr. atque Experimentif.* IVNCKERVS, in *Conspectu suo Therapiae specialis, Tabula XCIV. de Gonorrhoea p. 775.* de Nitro ita sentit: *In urgente tali ardore nitrum praesentissimae efficaciae deprehenditur.*

C

§. XXI.

§. XXI.

Antequam vero ad alteram indicationem me-
conuertam, pauca de *mercurio dulci* hic inferere li-
ceat. Resoluentem virtutem mercurio inesse, nemo
negabit; agit enim duplici ratione, partim stimu-
lando solida ad maiorem contractionem, partim hu-
mores spissos dissoluendo, & hinc vsus ipsius, in Go-
norrhoea virulenta inueterata, vel adstringentibus
turbata, vbi metus est ne miasma venereum mas-
sam sanguineam aliqua ex parte inquinauerit, non
est reformidandus, siquidem is tunc, alternis diebus
ad gran. III-IV. cum absorbentibus & antimon. dia-
phoret. vesperi exhibitus, insignem pollicetur effi-
cacious.

§. XXII.

Ordo nunc postulat, vt *secundae* quoque *indi-
cationis*, materiae nempe peccantis euacuationem
concernentis (§. XVI.), mentionem iniiciam. Prae-
parata itaque & correcta causa materialis ex cor-
pore est proscribenda; perinde tamen non est, qua
ratione & quo loco id fiat: quilibet enim fere ad-
fectus peculiaris sua habere solet loca excretoria,
materiae peccantis indoli atque naturae idonea, ad-
eoque non mirum est, quod & in eliminatione
miasmatis venerei, in Gonorrhoea, ad loca, mate-
riae peccantis indoli conuenientia, sit respiciendum.
Duplici autem in primis ratione materiae peccantis
excretio in hoc morbo est tentanda; altera *diureti-
cis*, *laxantibus* altera. De diureticis prius agen-
dum. Consistit vero diureticorum actio in eo, vt
humo-

humorum paulo maiorem versus renes concitent adfluxum, quo ipso posito, maior quoque, reliquis simul positis momentis, vrinæ secretio contingit. Deinde cum pariter partes vrinæ excretioni inferuientes a diureticis ad crebriorem vrinæ emissionem stimulentur, in aprico est, cur & causa materialis ex loco adfecto reliquisque partibus vicinis possit excerni. At enim vero locum adfectum in Gonorrhoea maligna constituunt glandulae vrethrae reliquaeque partes adiacentes (§. VII.), per quas vero cum ex parte vrina transeat, & quidem paulo frequentius atque copiosius, vt etiam insimul hac ratione causae materialis fiat remotio, necesse est. Quam ob rem in Gonorrhoea suppressa, ob stimulum, quem diuretica in viis vrinariis exerunt, non datur praestantius illis; materiae enim peccantis effluxum liberiores reddunt, eandemque hinc inde in partibus glandulosis stagnantem expellunt.

§. XXII.

Specialiori diureticorum, in Gonorrhoea maligna proficuorum, recensione hic non opus esse iudico; quandoquidem §. XVII. & XVIII. vbi de resoluentibus differui, eiusmodi recensita sunt medicamenta, quae, praeter virtutem resoluentem, lenem quoque diureticam exerunt, adeoque huic secundae indicationi facere possunt satis.

§. XXIII.

Iure suo ac merito diureticis (§. XX–XXII.)
laxantia adiungo, quippe quae virtute sua illis non
cedunt;

cedunt; siquidem pariter materiae peccantis eliminationem concernunt, & ob arctissimum nexum, qui intestinis cum partibus in gonorrhoea adfectis est, fieri aliter nequit, quin spissi ac miasmate venereo conspurcati humores, in glandulis vrethrae partibusque adiacentibus stagnantes, per exhibita laxantia simul educantur. Vnde subiectis hoc morbo decumbentibus multo erunt emolumento, inprimis si cum resolventibus iuncta exhibentur. Eiusmodi laxans, in Gonorrhoea quam maxime proficuum, constituunt pilulae doctissimi olim nostri STRUMPFII sequentes:

Rec. Resin. Ialap.

Mercurii dulc.

Sapon. Venet. part. anat.

& vt artis est, fiant pilulae pondere grani vnus, quarum xv-xx. singulis tribus vel quatuor diebus mane sumendae. Hae pilulae insigni gaudent virtute spissum atque tenacem sanguinem resoluendi, impuritatesque per aluum educendi. Eandem fere virtutem possident *pilulae catarrhales* in officinis pharmaceuticis prostantes, quarum compositionem, praeter laxantia, resoluentia quoque ingrediuntur. Ex singulis his patere iudico, laxantium vsum in hocce morbo quam maxime esse necessarium atque proficuum.

§. XXIV.

Sed *tertia indicatio*, vt partibus adfectis debitis restituatur tonus (§. XVI.), nunc quoque meam mere-

meretur attentionem. Ex pathologicis certum est, & quotidiana experientia comprobatur, partes specialiter adfectas sub excretionibus praeternaturalibus; per tempus durantibus, toni relaxationem pati, ideoque dispositionem obtinere, vt, licet materia peccans praeparata atque eliminata sit, nihilominus tamen profluuium materiae cuiusdam limpidae adhuc continuet. Vnde necesse est, vt tertia haec indicatio curationi finem imponat. Obtinetur vero illa per legitimum vsum & praescriptionem sic dictorum tonicorum, immo leniorum subadstringentium. Haec ipsa remedia in primis locum habent, si Gonorrhoea diu iamiam durauit, maiorque partium solidarum debilitas adest; praerequisitis vero sese commendant Corallia rubra, Unicornu fossile, os Sepiae, Succinum praeparatum & Cort. Cascarillae, eiusque Extractum aquosum, quod ad aliquot grana cum absorbentibus coniunctum vtilissime exhiberi potest. Huc referri quoque meretur vinum illud rubrum, Pontac dictum, manifestam austeritatem linguae imprimens, quod, si singulis diebus vesperi quarta pars mensurae vel sola, vel cum aqua fontana remixta adsumatur, egregiam subadstringentem exserit efficaciam.

§. XXV.

Neque externa medicamenta, tertiae indicationi satisfacienda, hic omittenda esse iudico, & id quidem eo magis, quo certius est, ea fere immediate ad locum adfectum applicari posse. Hunc censum subeunt omnia ea, quae, subtili quodam

spirituoso aut terreo principio praedita, fibris relaxatis tonoque suo deiectis maiorem cohaesionem conciliando, vltiori humorum adfluxui obices ponunt. Hoc itaque nomine veniunt sacculi roborantes, qui ex herbis Menth. Meliss. Salv. Puleg. Thym. &c. parati, & vel sicco modo, vel cum vino rubro austero, Pontac dicto, decocti, parti adfectae admoueri poterunt. Non raro quoque, & imprimis si pars adfecta maiori laborat debilitate, materiaeque limpidae profluuium in- & externis medicamentis cedere recusat, iniectiones indicantur. De quibus tamen notandum, quod caute omnino cum illis sit mercandum, neque alia, praeter subadstringentia, formulas illarum ingredi debeant, alias enim plus noxae, quam vtilitatis adferent. Quod si itaque iniectionibus succurrere necesse sit, conducent aqua Plantag. aqua Calc. viuae, adiectis Bolo armena, & lapide medicamentofo Crollii. Ex his multum sane solaminis respectu partium debilitatarum erit petendum. Eandem fere & quidem paulo maiorem roborantem virtutem exserit vinum iam commendatum Pontac, vel solum, vel supra dictis aquis dilutum, mediante syringa iniectum. Exulcerationes vero exigunt balsamicas iniectiones.

§. XXV.

Atque si iam iam materiae profluuium fuerit cohibitum, Essentiae stomachales, carminatiuae & roborantes locum inueniunt, quo nomine se imprimis

primis commendant Effent. carminat. Wedelii, Cascarill. Cortic. aurant. Millefol. Cinnamom. aliaque, quarum insignis in officinis pharmaceuticis prostat numerus, ex quo prudens Medicus, pro subiectorum diuersitate indoleque, selectum instituire potest.

§. XXVI.

Antequam vero totam hanc meam tractationem obfignem & ad finem perducam, necessitas exigere videtur, vt pauca quaedam de *diaeta*, sub Gonorrhoeae malignae curatione seruanda, adiciam. Dicit enim vix potest, quantum exacta diaeta ad faciliorem huius morbi curationem contribuatur. Quapropter subiecta monenda sunt, vt in diaeta quaelibet calidiora, acriora, aromatica, valde oleosa, lacticina & pingua, intuituque potulentorum cereuisias inebriantes, vina ac spiritiuosa, eurent; quippe quae omnia, sanguinem reliquosque humores acriores reddendo, causae materialis correctioni repugnant, adeoque hac ratione ipsum curationis actum retardant. E contrario autem miasmate venereo inquinati potius vtantur cibis tenuioribus, parcioribus atque temperatis; potus sit diluitor magisque aquosus, sic enim particulae acres tanto facilius ad loca excretoria deuehi possunt. Motus corporis ad virium delassationem vsque nunquam est instituendus, sed tantum ad lenem transpirationem vsque. Numquam vero subiecta hocce morbo laborantia equo vehantur; quoniam

nam enim sub hac motus specie inprimis partes
 genitales, utpote praecipue laborantes, adficiuntur,
 facili fieri potest negotio, ut maior humorum ver-
 sus illas conciteretur adfluxus. Haec sunt B. L. quae
 tecum hac de materia communicare animus fuit.
 De cetero supremo Numini gratias refero immor-
 tales, quod vires mentis ac corporis, exoptam-
 que post tumultus bellicos heic loci perpeffos tran-
 quillitatem largiri benignissime voluerit, ut prae-
 sentem laborem ad felicem perdu-
 cere potuerim

F I N E M.



NOBI-

NOBILISSIMO ERVDITISSIMOQVE

CANDIDATO

S. P. D.

ANDREAS ELIAS BÜCHNER.

Quamquam non omnes proorsus istos reprehendo salutaris nostrae scientiae cultores, qui, domesticis plerumque acti causis, academicam, quam vivunt, vitam intra angustum triennii spatium coercent; si quidem, quantumcumque est huius temporis, nullis aliis occupationibus, quam ipsis his litteris, quas amplexi sunt, tribuant: longe tamen pluris istos aestimare soleo, qui, sicubi forte longioris in quadam Musarum sede commoratio nis datur opportunitas, eandem lubentissime arripiunt, & maturescere, quam maturare malunt. Si quid enim unquam de vlla scientia verissime est dictum, profecto est illud HIPPOCRATIS, artem nostram longam, vitamque breuem adfirmantis. Proinde, bis ductus rationibus, non verebor lectorum reprehensionem, si in huius epistolae scriptio ne aliquid meae in TE voluntati dedero, publicoque, sed eodem verissimo, testimonio praestantissimam istam lo-

D

cuple

cupleriffime laudauero maturitatem, quam **TV**, **NOBI-**
LISSIME CANDIDATE, intra trium integrarum
 Olympiadum spatium, in medica doctrina indefessis labo-
 ribus adfiduaque diligentia es consecutus. Posteaquam
 enim alteram huius temporis partem in saluari scientia,
 ex plerorumque huius Academiae Professorum medicorum
 celeberrimorum meoque ore haurienda, honorifice consum-
 feras, alteram in id insumpsisti, vt, quaecumque legendo au-
 diendoue perceperas, in succum conuerteres sanguinemque,
 Et variis, frequenter oblati, utereri opportunitatibus,
 ipsam medicinam laudabiliter faciendi. Hoc ergo amplis-
 simo tam scientiae, quam experientiae medicae apparatus
 instructus, **PRAESTANTISSIME CANDIDA-**
TE, non solum Ordini nostro in consuetis examini-
 bus summo medico honore apprime dignum te probasti, sed eun-
 dem quoque nunc singulari honorifico specimine litterario,
 cuius ipse verus es auctor, publice sollempniterque **TIBI**
 vindicabis. Hac igitur dignitate tactus, porro ex me-
 dicina recte glorioseque facienda inter illos quoque, qui-
 bus dulce & decorum est, pro patria mori, luculen-
 tas capesses laudes, simulque, quod ex animo voueo, for-
 tunam **TVAM TVIS** ipsius votis accommodabis, Et firmam
 stabilemque reddes. Ita vale, nec mei, quippe **TIBI** bene
 volentis, in distitis etiam locis, memoriam vnquam deponere.
 Dab. Halae, d. XX. Septembr. **CLCCLIX.**

PRAE-

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

AMICO SVO LECTISSIMO,
AESTVMATISSIMO,

S. P. D.

IOANN. AVGVST. LIEBMANN,
HALENSIS, OPPON.

Foetidae quidem sunt dapes, CLARISSIME DOMINE CANDIDATE, quas apposuisti, dum morbum, ad elegantium familiam referri solitum, disquisitione TVA dignum arbitratus es, cuius fomitem, e liberali Americae sinu ad nos delatum, prodiga manu in Europae prouinciis distribuere maiores nostri. Nibilo tamen minus parem promerentur laudem lucubrationes TVAE, quae digni a quouis bono reputabantur viri celeberrimi, qui in iis pariter ac aliis morbis, non minorem sorditiem redolentibus, accuratius explicandis operam suam collocarunt. Quam male sibi saepissime consulerent mortales miseri, tetterimis eiusmodi afflictionibus conspurcati, si illis, aliorum iam iam consortio proscriptis, auxiliatrices manus Medici quoque vellent denegare? Possem hic panegyricum Medicis dicere sermonem, & in eorum laudes excurrere prolixius; possem aliorum commodis inseruendi studium non minus quam dexteritatem; possem insignia quoque illa emolumenta uberius recensere, quae prono inde alueo ad genus humanum deriuantur. His vero omnibus merito superfedere possum. Res enim ipsa loquitur. Ad TE potius reuertor,
CLA-

CLARISSIME DOMINE CANDIDATE. *Laudum pariter TVARVM praeco esse possem. Sed suspectus insinual forem. Iudicatur enim ignobili vulgo amicitia semper partium studio fauere, licet mansuetius bocce de nexu omnes sentiant sapientiores. Subeant interim vicem meam, in laudibus TVIS efferendis, luculenta illa specimina profectuum TVORVM in arte salutari, quae iam iam longis abhinc annis frequentissima occasione edidisti. Quae quum ita sint, iniquus omnino forem rerum aestimator, nisi faustissimos in praxi TVA successus promittere atque augurari vellem. Sequere igitur qua TVA TE fata vocant, laborumque TVORVM praemia larga manu collige, de quibus TIBI, AMICE AESTVMATISSIME, sincero animi officio concitatus impense gratulor. Amicitiam erga me TVAM, quam huc usque minus infucatam deprehendi, ut successu quoque temporis, sub aura licet peregrina continuare velis, enixe abs TE peto. Omnem e contrario mouebo lapidem, ut ad quaelibet amicitiae & officiorum genera me semper inuenias paratissimum. Vale, iterumque vale! Dab.*

in regia Fridericiana d. XX. Sept.

MDCC LIX.



00 A 6281

ULB Halle
002 828 12X


3



so

Rehns ✓





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

INAVGVRALIS MEDICA
DE
HOEA MALIGNA

QVAM
ADV DOCTORIS
CINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
VS LEGITIME IMPETRANDIS
SEPT. A. R. S. MDCCLIX.
REGIA FRIDERICIANA
BLICE DEFENDET
S CONRAD HORN
CO-HALBERSTADIENSIS.



RGICAE LITTERIS HENDELIANIS.

